

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nis ejus. Periculum enim est, ne brevi magna illorum futura sit penuria, qui *ἐπιὸς χειρῶν καταρχήων*, cum indies *χρίματα*. & certamina Theologorum crescunt, & Satan in hoc omnibus viribus incumbit, ut autoritatem viii DEI, Doctoris Lutheri, labefacter, & Juventutem à lectione divinorum Monumentorum ipsius, ad scripta patrum, & aliorum, qui Luthero longe sunt inferiores, revocet. Haud enim illum fugit, quantam perniciem Scripta Lutheri, tertii Eliæ, Regno suo invexerunt. Decet igitur nos, qui stamus in prima acie, Theologiæ Studiosos sedulo hortari, ut post Sacra Biblia, Doctoris Lutheri scripta quam familiarissime nota sibi reddant. Constat enim, nullum unquam Doctorem Ecclesiæ Scripta Prophetica & Apostolica rectius ac felicius Luthero interpretatum fuisse. Nec dubito, quin multos sinceros, ac eruditos Theologos *ἰμοψήφους* habeam; qui & ipsi præclare de viro DEI Luthero sentiant, & prædicent, & scripta ejus magnificanc optentque, quam plurimos ipsorum exemplum imitari. Bene vale, vir clarissime in Domino, mei semper memor in precibus tuis. Et hunc optimum Adolescentem tibi commendatum habeto, idque in meam gratiam. Freybergæ ipso die visitationis Mariæ 1564.

Hieronymus Wellerus.

LX.

*S. D. Reverende Domine Doctor, Vir Clarissime,
me, frater & amice observande.*

DEdi ipsis diebus festivitatis, qua missionem Spiritus S. celebramus, literas Marco Victorio, Dn. Pauli Cherleri comiti, quas quia Marcus etiam adhuc in itinere hæret, nondum tibi redditas esse puto. In illis significabam, nondum etiam me Illustrissimi Principis sententiam de negotio nostro accepisse. Sed post illud tempus facta est declaratio voluntatis Principis, in qua equidè me acquiescere necesse est. Quemadmodum enim initio hujus negotii nostri, quod nunc in septimum usque mensem extractum agitur, non parva insignis clementiæ testimonia optimi Principis in me extare ad te perscripsi, ita illa post discessum Domini Kõreritii, parentis mihi loco perpetuo colendi, re ipsa erga me & filium meum abundantius declarata sunt, & nunc demum indicata vocatione in Ecclesiam & Gymnasium vestrum mea, amplius repræsentata, ut intelligam mihi hanc functionem, in qua divinitus sum collocatus, minimè deserendam esse. Ad hanc Principis optimi & sapientissimi mentem accedunt valde multa ac sane non levia argumenta, quæ me rationem habere jubent

Eccle-

Ecclesiæ & Scholæ patriæ & considerare etiam cæteras circumstantias familiaræ & Oeconomix, quas verò commemorare nimis longum foret. Quapropter, mi carissime Dn. Doctor, & tibi & Dominis Scholarchis, quantas possum, gratias & ago & habeo, pro illa erga me benevolentia summa, qua me hastenus complexi estis, ac rogo, ut eadem constantia illam erga me retineatis, qua hucusque eam conservastis.

Agnosco, me vobis omnibus, Domino Kõteritio, qui primus auctor est honestissimæ hujus voluntatis vestræ erga me, deinde tibi, tandem etiam amplissimis viris in Republica vestra, quibus studiorum gubernatio in Ecclesia & Gymnasio vestro mandata est, plurimum debere, ac libenter profiteor debitorem me vestrum perpetuo in posterum futurum. Vobis enim acceptum refero, quod mediocri accessio rebus meis facta est, occasione hujus invocationis, qua mihi honestissimum locum in Ecclesia & Schola vestra decreveratis. Ac DEUM oro æternum patrem Domini nostri JESU Christi liberatoris nostri, capitis & custodis Ecclesiæ suæ, ut vobis privatim pro immensa sua & immortalis bonitate præmia conferat uberrima pro hoc studio vestro, quod certè ostendistis amplissimum, & summâ fide & humanitate præstitistis, ad ornandum me & provehendum. Deinde publico nomine Reipublicæ vestræ laudatissimæ & famosissimæ, omnibusque in ea præstantissimis viris, qui ad rerum gubernacula sedent, præcipue Dominis Scholarchis, item toti collegio docentium in Ecclesia & Gymnasio, gratias ago, quod tam honorificam de me persuasionem habuerunt, & me dignum judicant, quem præ multis aliis eligerent socium doctrinæ, consiliorum & gubernationis in regimine Scholastico & Ecclesiastico. Ac summis precibus contendo à Filio DEI, Immanuele nostro, qui sedet in excelsis, & nos respicit in forma hominis, ut in universa Ecclesia, ac in vestra privatim sibi colligat magnum cœtum in omnem æternitatem ipsum celebraturum. Studebo etiam, mea qualiacunque officia in posterum vobis declarare, & gratitudinem perpetuam vobis omnibus polliceor, quam etiam re ipsa demonstrare conabor. Hæc subito mihi scribenda fuerunt, quare amanter oro, ut festinationi ignoscas. Optime in Christo vale, mi charissime Domine Doctor, meque tibi commendatissimum habeto. Data ad Vanciorum Curiam. III. Iduum Quintilis, Anno 1564.

Tui amantissimus

Streitbergerus.

LXL.